

Deo, nec Christo & membris eius. Seruiunt interim diabolo & vitiis, à sanctis tandem iudicandi atque damnandi, 1. Corinth. 6.

27. DILATET DEVS IAPHETH. Est votum triplex. I. Multiplicationem prolis Iapheth precatur de qua cap. 10. DILATET, late extendat. Aliqui: *pulcrum faciat*: II. Habitationem in tabernaculis Sem: Est vaticinium de vocatione gentium ad Ecclesiam: Prædicit Noach temporale fore dissidium inter Sem & Iapheth: vt quamuis posterii Iapheth ab Ecclesia sint defecturi, & diu extra eam mansuri, tamen tandem redeant in vnitatem Ecclesiæ sub regno Christi. IN TABERNACVLIS SEM. Forma loquendi à modo habitandi tunc vsitato in tabernaculis, talis erit & fuit Ecclesiæ fors in hoc mundo, vt non ampla palatia, sed angusta tabernacula inhabitet. Non enim habemus hic locum manentē: Aspiramus vero ad ciuitatē in cælis nō manu factam, Heb. 11. & 13.

A 28. VIXIT NOACH POST DILU-
VIVM. 350. Vno verbo longevitatem & obitum Noach sancti viri indicat. Superavit longevitate primum Adam, qui vixit 930. Noach vero 950. proxime accessit ad ætatem Iered, quo tantum 12. & Methusalah, quo 19. annis mortuus est minor. Vidit ergo totam illam posterorum seriem quæ cap. 11. à Sem vsq; ad Therah describitur, & non modo efficaciam benedictionis à Deo promissæ singularem expertus est, sed & posteros in vera religione & cultu Dei instituit: Oeconomicas & ciuiles leges præscripsit, & statum generis humani vtiliter scientias & artes honestas restituit, denique disposuit. Mortuus est tandem, communem hominum sortem expertus. Sed per mortem vere cum Deo viuere cœpit. Non vidit Abraham, sed biennio ante eū morte viuus excessit. Incidit enim obitus eius in annum mundi 2006. Natalis Abraham in annū 2008. vt demonstraui in prolegomenis.

CAPITIS DECIMI

Argumentum, Partitio, Vfus.

TExit Moses hoc capite catalogum posteritatis Noach ex tribus filiis Iapheth, Cham, Sem, quorum filios & nepotes ordine recenset, non quidem vt probabile est, omnes, sed præcipuos, à quibus populi insigniores orbis originem vel nomen traxerunt. Ac Mosis tempore nomina & sedes populorum à filiis Noach descendentiū sine dubio perspicua fuerunt: in quibus nunc post tria pene annorum millia, postque tot gentium & regionum mutationes atque confusiones magna est obscuritas, exceptis paucis, quarum ratio ex aliis scripturæ locis est manifesta. De hoc Iosephus: Porro (inquit) gentium quædam adhuc seruant deriuatam à suis conditoribus appellationem: quædam etiam mutauerunt, nonnullæ in familiarem accolis & notiorē vocem sunt versæ, Græcis potissimum talis nomenclaturæ authoribus.

Porro tres sunt genealogiæ. 1. Iaphethi: 2. Cham: 3. Sem: totidem sunt capituli partes.

Nec sunt inanes genealogiæ, cuiusmodi vituperantur à Paulo. 1. Tim. 4. Ab his enim & aliis hic liber nomen Geneleos accepit.

1. Vfus insignis est & multiplex. 1. Amplificatio hæc familie Noach testimonium est implete benedictionis promissæ. cap. 9. 1. 2. Est fragmentum historia mundi de propagato genere humano post diluuium per tres viros, deque vera gentium & populorum origine, contra fabulas Græcorum & poetarum, de ortu hominum ex lapidibus vel ex terra, & de gentium diuersarum consuetudinibus authoribus. 3. Testimonium est vetustatis doctrinæ & historiae Ecclesiæ. Hic indicatur

versu

POST

Haec sunt generat
post diluuium.
Filius Iapheth Gene
Filius enim Gomer A
Filius vero Leuan Eli
Ab his separata sunt
familias suas in

STE VERO S
TIONES. Quin
filiorum Noa
quia singuloru
Ergo non i
Noach, sed vt t
componuntur,
filius filii eoru
nunc extiterunt.
FILI IAPHET
sem Sem primum
genit sed dignitat
fratribus, &
Par. 1. hz ge
quid de eius p
sed cohzre
quibus. Deince